ANNOTATIONES
ALIQVOT
DOCTISSIMI D. HENRICI BRIGGII
IN PROPOSITIONES PRÆMISSAS.

DATO *Arcu dare Logarithmum eius sinus versi*] *ad huius propositionis finem* *** *ego libenter adiicerem, Et contrà, Dato Logarithmo sinus versi, inuenire eius arcum.*

Logarithmo 30:0.693147, *addatur Logarithmus datus sinus versi quæsiti: semissis totius, est Logarithmus dimidij arcus quæsiti.*

Vt sit Logarithmus datus 35791 sinus versi ignoti, cuius arcus etiam ignoratur: huic addatur 693147 summa erit 728938 cuius semissis 364469 est Logarithmus 43:59':33". est igitur datus Logarithmi arcus 87:59':6". cuius sinus versus 9648389.

Si datus fuerit Logarithmus defectiuus ---54321, & quæratur eius sinus versus: addatur vt anteà 693147. summa (id est numerus reliquus, quia signa sunt contraria) erit 638826, cuius semissis 319413, est Logarithmus 46:3':0", qui duplicatus est 93:1':0", cuius sinus versus 10558216, cùm sit maior radio, habet Logarithmum defectiuum --- 54321.

DEMONSTRATIO.



cb, ab } sinus vetsi arcuum { cd, ad

xc, eg, ch } pro- port. { xa, ae, af } pro- port.

½ xc sinus 30:0 ; cg sinus arcus cd ; cb dupla ch rectæ } pro- port.

Tandem sensi sextam propositionem sequentem, hoc ipsum eodem prorsus modo præstare.

Trianguli sphærici A B D]

Alium modum pro inuentione basis sequi possumus sic.

Si Logarithmus sinus versi, dati anguli, addatur Logarithmis crurum: summa erit Logarithmus differentiæ sinuum versorum, differentiæ crurum & basis quæsitæ. Idcirco per Logarithmum inuentum, quæratur differentia sinuum versorum, huic differentiæ addatur sinus versus differentiæ crurum, summa erit sinus versus basis quæsitæ.

Vt in hoc exemplo: Crura 34. 47, eorum Logarithmi 581261. 312858. Logarithmus sinus versi dati anguli defectiuus --- 409615, qui additus superioribus (quod fit per subductionem, quia signa sunt contraria) dat 484504, Logarithmum differentiæ sinuum versorum basis & differentiæ crurum.

Linea verò huic Logarithmo respondens, siue sit sinus versus siue rectus, est 6160057, quæ est differentia sinuum versorum basis & differentiæ crurum. Cui, si addatur sinus versus differentiæ crurum 02563000, summa 6416357 erit sinus versus basis quæsitæ: qui ablatus è radio, relinquit 3583643 sinum rectum complementi basis 21:0. est igitur basis 69:0.